Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1409
Quelle:
Copyright:

CCCLXVII.

195 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 265. f. nitide ſcriptus continet, quae ſequuntur: I. *Incipit dyalogus qui vocatur ſcrutinium ſcripturarum compoſitus per Reuerendum patrem dominum Paulum de ſancta Maria Magiſtrum in Theologia Epiſcopum Burgenſem Archicancellarium Sereniſſimi principis domini. Jo. Regis Caſtelle et legionis quem compoſuit poſt additiones per eum compoſitas ad poſtillam nicolai Anno domini M° CCCCXXXIIII. etatis uero ſue Anno LXXXI°.* Titulus paene idem viſitur in *tribus* antiquiſſimis editionibus *ſine l. et a.* in *fol.* quarum una ex ſubſcriptis verſibus: *Anſer Tarpeji cuſtos Jovis* &c. ad *Ulricum Han* ſ. *Gallum* civem *Viennenſem* primum *Romae* typographum pertinet, aliae duae, utut iisdem literis impreſſae, eodemque linearum 39. numero, multum tamen vocum compendiis differunt. Ita in ipſo titulo una *archicacellariū*, altera *archicancellariū*, illa in fine lineae 5. textus *juxta id. jo.* haec *juxta illud* habet; illius ultima linea eſt: *nor et gloria in ſecula ſeculorum amen. Deo gracias.* hujus vero: *ſecula ſeculorum amen. Deo gracias.* Opus jam ipſum ad convincendos *Judaeos* inſtitutum II. *Partes* complectitur, quarum prior *Diſtinctionibus* X. inter *Paulum* et *Saulum*, altera *Diſtinctionibus* VI. inter *Magiſtrum* et *Diſcipulum* verſatur. De Autore, dum inter *Hebraeos* ageret, dicto *Salomone Levi* vide fontes, quos indicat *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat. Lib.* XV. p. 208. Codex noſter in hanc formulam miniatam exit: *Finitum et completum In concilio Baſilien. procurante Reuerendo in chriſto patre ac domino Domino Johanne Abbate in Runa Anno domini Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Septimo Jouis quarto Aprilis.* Cum vero *Johanni* huic dicto *de Waldſtein* juxta ſeriem Abbatum *Runenſium* Ord. Ciſt. in *Styria*, quae exhibetur in P. II. *Diplomatarior. ſacr.* ejus Provinciae p. 50. jam 1436. *in die Urbani* ſucceſſiſſe dicatur *Hermannus Krottendorff, ro procurante* non niſi de *primo* deſcriptionis mandato intelligi poſſe, ipſa vero deſcriptio annum emortualem autoris 1435. 29. *Aug.* paene adtigiſſe videtur.

II. *fol.* 151. p. 2. rubro: *Incipit liber contra errores Grecorum editus a fratre Thoma de aquino De ordine fratrum predicatorum ad preces vrbani* (IV.) *pape.* Ingreſſus: *Libellum ab excellentia Veſtra michi exhibitum ſanctiſſime pater vrbane papa diligenter perlegi* &c. Finis: *Sed ea que premiſſa ſunt fere ut credo omnia poſſunt reduci.* Extat in *Opp. Thomae* T. XVII. edit. *Rom.* 1570. p. 1. Fides Autoris in citandis graecorum PP. textibus a *Petro de Alva, Joh. Launojo* et aliis accuſata defenſa eſt a *Jac. Quetifo* in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 332. Qua de re vide *Oudinum* T. III. *col.* 334.

In